EQVITI, DOMINO DE S. OVEN,

MATHIEV, PERRIERS, ANGVERNY, LA PIPARDIERE, &c.

CAVSARVM IN SENATV PATRONO.



Ea eſt rerum mearum conditio, ea ſors, eæ vices, VIR ILLVSTRISSIME, vt in amplo fuſoque dicendi campo obmuteſcere cogar. Tanta quippe eſt, tam arcta inter nos conjunctio, vt ſi te veris omniſque adulationis expertibus encomiis celebrare vel maximè poſſim; ſine verecundia tamen non debeam. Vberem laudum materiam ſuppeditarent Familiæ tuæ ſplendor, propria virtus, tuaque præcox ſapientia: hæc omnibus exponere conſcia mens juberet; tacere tamen impellit modeſtia, ſuadetque ratio, ne, quæ tota perſonat Neuſtria, in ore meo ſint ſuſpecta. O me infelicem, qui in re debeam eſſe mutus, quæ mutos redderet facundos! Loquantur igitur Majores tui tum Paterni, tum Materni; FRAXINELLI ſua virtute & nobilitate clari; HAESII Angliæ quondam lumina; LIVETII in Senatu Neuſtrio Præſides; TVRNEBVTII & ACHÆI bello illuſtres. Loquatur tua morum integritas in modeſto vultu depicta: Loquatur optima illa indoles, ad arma quidem nata; quia Auita; quæ tamen, vt Matris meritiſſimæ votis reſponderet, ad Supremam Galliarum Curiam ſe conuertit, vt aliquando in eâ ſua Neuſtriæ Curiæ Lumina valeat adæquare. Nunc Patroni perſonam geris; breui alteram longè nobiliorem, tuique nominis ſplendori debitam indues, & jam ſi completum haberes annorum numerum, indueres. Prodeant denique ſumma tua, Fratriſque tui erga me merita: quibus mea animi gratitudo, quanta quanta ſit, ſemper erit longè impar ac inferior. Patere itaque, VIR ILLVSTRISSIME, vt Artis nobiliſſimæ, quam ſub tuis auſpiciis ſuſcepi, primitias tibi offeram, voueam, conſecrem

Tuus ex Aſſe ROBERTVS RAOVLT, Sagienſis.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XII. FEBRVARII.

M. ANTONIO LE MOINE, Doctore Medico, Præſide.

An ſtatim à menſtruorum effluuio concepti, firmioris valetudinis?

VT ad viuendum eo majori actionum diuerſitate indiget animal, quo præſtantius eſt: ſic ad bene viuendum earumdem actionum integritate, hanc firma valetudo optimum vitæ condimentum, efficit: quæ certam quamdam & determinatam partium omnium conſtitutionem requirit, vt cùm à partibus exerceantur actiones, eo modo eliciantur, quo partes diſpoſitæ ſunt. Sed cùm variæ multipliceſque obiri debebant, varia fuit partium ſimilarium temperies, quæ vnione perfectâ mutuò cohærentes in vnum conſpirant, vt partes diſſimilares, & ex his totum corpus, idque ſanum efficiant. Vt autem à triplici regitur facultate, ita triplicem maximè actionem obit: A partium ſimilarium temperie procedit, cæterarum radix & fundamentum, naturalis, quæ in nutritione & accretione maximè viget. Ad vitalem & animalem efficiendam concurrunt organicæ, & ad omnes, omnium partium continuitas & adhæſio. Verùm caue ne ſanitatem, cùm in actionibus debitè obeundis illuceſcat, ab ipſo agendi actu exiſtimes: ſanus eſt enim non qui debitè actiones iſtas obit, ſed qui poteſt obire, vnde ab innatâ vi potiùs exprimi debet, eas quæ ſecundùm naturam ſunt actiones exercendi potentia, à partium omnium naturali conſtitutione dependens.

PARTIVM conſtitutio vt & rerum cæterarum à materiâ quâdam & formâ dependet, materiam autem duplicem habent, remotam mixtis omnibus communem, quatuor elementa, & proximam, quatuor pariter primis illis corporibus analogos humores. Mutuus horum concurſus, & varia proportio, variam vniuſcujuſque partis formam partialem efficit: tantaque eſt partes inter & humores affinitas, vt cùm ſuæ ſimilem in partibus temperiem generent, humores ſimiles ab illis poſtea generentur. Vides igitur duplices eſſe & congenitos, prima ſcilicet generationis principia, & poſtgeneratos ab alimentis ad partium nutritionem. Ab vtriſque ſanitas & firma valetudo, nam ταῦτ' ἐστὶν ἡ φύσις τοῦ σώματος καὶ διὰ ταῦτα ἀλγέει καὶ ὑγιαίνει. Vt autem multum ad illam conſeruandam quibus alimentis nutriaris, intereſt: nam quales cibi, tales humores poſtgeniti, qui licèt in partium ſubſtantiam alterentur, eam tamen quam ab alimentis mutuati ſunt, qualitatem, ſucceſſione temporis, iiſdem partibus imprimunt: Sic longè magis, quàm congenitis humoribus ſis conformatus, ſi quam enim in ſe labem habeant, ita fortiter eandem partibus imprimunt, vt toto vitæ tempore deleri vix poſſit, & qui natiuam inde temperiem à mediocritate deflectentem obtinuerint, acquiſititiâ corrigere non poſſunt; ſed id tantum habent ab optimâ viuendi ratione quod ὑγιαίνουσι νοσηρότερον.

AD firmam illam valetudinem, natiuamque ſanitatem, ex ſanis parentibus, & in ætate florenti conſtitutis procreari ſatis eſſe non credas. Quandiu fœtus, quem in vtero conformat anima rationis compos, & ſignat vt plurimum vis imaginatrix, continetur in locis, alimento opus habet, cujus in ſingulis partibus eo fortior impreſſio, quo diuturnior. Huic, præter ſemen, ſubminiſtrando deſtinata fœmina, quam ideo frigidiorem effinxit Natura, vt ex omnium partium nutritione, reſidua ſit aliqua ſanguinis, alteri ſimilis, portio. Hæc quod tanquam Naturæ tributum & vectigal aliquod ſingulis menſibus, alio quàm grauiditatis & lactationis tempore, ſoleat ab vtero per vaſorum ἀνασώμωσιν effluere, menſtruus ſanguis dictus eſt. Flores etiam apud mulieres nuncupatur, quod & in primo juuentutis flore, fructuum & fœcunditatis index, ipſas floridas non decolores & cachecticas reddat: tantis enim commodis illas beat, vt ipſi Deam aliquam præſidem Fluoniam dictam finxerint Veteres. Cæteris quidem animantibus viuiparis eſt communis hæc euacuatio, in mulieribus tamen abundantior, quibus non ita propria, quin & viris quibuſdam accidat: ſed vt eos mulieroſiſſimos reddit: ita ſi ſupprimatur in fœminis, has pilis & barbâ creſcentibus, viris aliquando ſimiles facit. Toto vitæ tempore non perdurat, certis enim ſpatiis & incipit & deſinit, de quibus nihil audeas decernere, vt nec de quantitate quæ conſuetudine potiùs & εὐφορίᾳ, quàm heminis Atticis aut libris Pariſienſibus definienda. Vberiùs illæ purgantur quæ graciliores ac ſanguineæ, fuſcæ, πολυφάγοι, οἰνοπόται, quæ ſub regione frigidiſſima degunt, ac Veneri crebriùs indulgent: ad hanc enim, vt ad concipiendum, omni tempore mulier paratiſſima, licèt illo faciliùs peragi ſoleat conceptio, quo Natura vel ſanguinem illum excreuit, vel ſe ſe ad excercendum accingit.

CVM vterus, licet illebroſæ voluptatis ſedes, ſit veluti ſentina & cloaca, in quam Natura totius corporis ſordes & inquinamenta commode propter ſitum inferiorem demittit; menſtruis effluentibus aut effluxuris, excitatâ tunc expultrice vi, meatibuſque magis apertis, copioſiori prauorum humorum fœdatur illuuie: Hinc ſi generationem intendas, cùm ſani potiùs, quàm ſexu vel indiuiduo ſimilis, debeas intendere; non niſi poſt menſtruorum effluuium, expurgato ſordibus ab iſtis vtero, conceptionem exoptes: Tunc enim temporis, purior ad ſemen allabitur ſanguis, & inde fœtui purius, per totum etiam grauiditatis tempus, alimentum ſuppeditatur. Nec putes aliàs impuriori portione derelictâ, ſugi duntaxat ab infante puriorem. Hæc enim propter continuitatem & contagium, etiam ſi qua eſt, corrumpitur, malignamque qualitatem acquirit, ob copiam ac moram in vtero, quæ major eſt & diuturnior in his quæ ante menſtruorum eruptionem concipiunt. Vnde cùm omnia, quæ grauidis accidere ſolent ſymptomata, retentis à menſibus oriantur, magis in iſtis exacerbata ſæuient, majus igitur ciborum à quibus optimus fit ſanguis, faſtidium, rerumque noxiarum & horrendarum plane, deprauatus magis appetitus ille picaceus, & pejor inde ac fere venenata cacochymia ſuccreſcet, non fœtæ tantùm, ſed & fœtui pernicioſa.

AN adeo intemperantiæ & voluptati ſeruies, vt nulla liberorum habita ratione, illud omne tempus, quo libidinis œſtro percitus es, generationi feliciſſimæ commodum arbitreris? Non-ne fuit ea ſemper Naturæ lex, vt flores fructibus præmittantur? Vterus campus ille Naturæ feraciſſimus, ſanguineo perfuſus & irroratus imbre, prauâ jam omni labe repurgatus, Veneris appetens auide ſemen allicit, & conceptum blando ſanguine fouet ac nutrit, quod alio tempore ſuffocaret & obrueret; ita vt quæ menſtruis erumpentibus, aut jam jam erupturis fiat conceptio, vel inanis, vel ad aborſum paratiſſima, vel toto vitæ tempore debilis poſſit euadere. Sanguine quidem fœtus indiget, ſed non tantâ copiâ, quâ ſolet ante menſtrui ſanguinis effluxum coaceruari; hæc enim in quibuſdam ſterilitatis cauſa, cùm ipſis cruenta vomitio proſit ad concipiendum. Robuſtos & valentes fœtus, viragines ac laborioſæ mulieres edunt, quæ multum ſanguinis diſcutiunt: quibus etiam nunquam fluxere, fœtui quod neceſſarium eſt ſuppeditant, redundanti non opprimunt. Vt igitur crudus, impurus & imperfectus ſanguis, qualis propter exuberantiam, expellentis naturæ vim, humorum, per patentes ductus ruentium, impetum, & motus per decliuiora facilitatem, ſolet eſſe qui jam effluit, vel effluxurus eſt, non tantùm frigidam & humidam, ideoque à ſanitate perfectâ deflectentem intemperiem inducit, ſed ipſum etiam ſeminis calorem inſitum, morborum domitorem, vitæ, virium & ſanitatis authorem, multitudine nimiâ ſuffocat; ita repurgatus tum crudiore portione, tum quantitate detractâ, calori natiuo pabulum idoneum euadit, & ſalubriori nutritione vim ipſius exſuſcitat, à quâ functiones omnes perbellè exercentur, excrementa debitè excernuntur, tolluntur morborum cauſæ, & longæ perfectæque ſanitatis ac firmæ valetudinis fundamenta conſtituuntur.

Ergo ſtatim à menſtruorum effluuio concepti, firmioris valetudinis.

DOMINI DOCTORES DISPVTAVTRI.

M. Claudius Quartier.	*M. Daniel Arbinet.*	*M. Michael Marês.*
M. Franciſcus Landrieu.	*M. Carolus Baralis.*	*M. Martinus Akakia.*
M. Antonius de Sartes, Schol. Profeſſor.	*M. Ioannes Antonius Bourgaud.*	*M. Nicolaus Cappon.*

Proponebat Lutetiæ ROBERTVS RAOVLT, Sagienſis, A.R.S.H. M. DC. LXV.